



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Specvlvm Ivventvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve  
Adolescentiae Sanctorvm**

**Bosendorf, Hermann**

**Monasterii VVestphalorvm, 1615**

Niuardus frater D. Bernardi 20. Aug.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42900**

*Denuo.*

reret. Solo vero pietatis & deuotionis studio  
ductus, horarias preces, iuxta ritum fratrum  
Minorum summa cum animi attentione per-  
soluebat; extensisq; brachijs Dominicę pali-  
nis legebat officium. Vigilijs insuper, ieiunijs,  
*Aperitate  
vitæ car-  
næ edomat.*  
asperitate vestium & alijs corporis afflictio-  
nibus rebelles carnis motus spiritui subdebat:  
Sacrum Missæ officium præmissa sacramenta-  
li confessione magna deuotione audiebat: ac  
postremo diuino Eucharistiæ ferculo animū  
frequenter pascebat. Cumq; expletis omnibus  
virtutum numeris, religiosæ etiam vitæ insti-  
cutum suisset complexus, post munus antistit-  
itis religiosissimè peractum, plurimis clarus  
miraculis migrauit è vita.

*NIVARDI IVNIORIS FRATRIS S.  
Bernardi gnome in vita S. Bernardi 20. Aug.*

*Sur. Tom. 4.*

**A**dmirabilis Dei gratia, quos de illustri  
familia B. Bernardi, piorum parentum  
votis sibi destinatos exceperat, eosdem omnes  
Christianæ perfectione illustriores in Cister-  
censi cænobio sibi, raro post homines natos  
exemplo, consecravit. Adueniente igitur die,  
quo solenni iureiurādo se perpetuæ seruituti  
Christo deuouere statuerant, B. Bernardus,  
quinq; secum adducens fratres, è paternis ædi-  
bus prodibat. Cumq; Guido maior natu, fra-  
trem iuniorem in platea puerum cum pueris  
luisitantem cerneret: *Eia, inquit, Niuarde fra-*  
*ter,*

ter tu solus bonorum omnium hæres ex asse  
relictus es: ad te omnis terra possessionis no-  
stra respicit: Ad quod puer non sanè pueri-  
liter motus: Vobis ergo, inquit, celum, & mihi *Sapientia*  
terra? Non est illa ex æquo facta diuisio. Quo *pueri*,  
dicto abeuntibus illis tūc quidem domi cum  
patre remansit, sed modico post tempore fra-  
tres secutus, nec à patre, nec ab amicis, vlla vi  
potuit retineri.

## MARTIRIV M S. SYMPHORIANI AD Q-

lescentis 22. Aug. Sur. Tom. 4.

**A**VRELIANO principe aduersus Christia-  
num nomen dirā persecutionis procel-  
lā excitante, Augustoduni erat Symphorianus  
Fausti nobilis viri filius, Christiana familia or-  
tus, literis & moribus pbè institutus, ita vt pri-  
mę etatis florentes annos, se num mores & gra-  
uitatem prē se ferens, immaculatę mentis syn-  
ceritate superaret. Is itaq; etate peradolefscens  
tantā virtutum suarū omnibus bonis spē fecit,  
vt eum cum supernis virtutibus meritorū ha-  
bere cōsortium non sine admiratione statue-  
rent. Illustrabat enim eum cælestis sapientiæ *Simplici-*  
spiritualibus gemmis ornata simplicitas, &  
ipse iustum vitæ tramitem tenens, felicis gu-  
bernaculi moderatione vtens, malè blandien-  
tis mundi naufragia vitauit. Per id tempus He-  
duorum ciuitas Augustodunum, antiquæ no-  
bilitatis titulis & sacrilegæ religionis referta  
cæremonijs, errorique seruiens, Berecynthiæ  
in primis Apollinis & Dianæ cultum studio

*Puritas  
animi.*

Bb 4 pro